# PARNASSVS ACADEMICVS,

SEV

## Nouem Musis,

EXIMIÆ SCILICET INDOLIS JVVENIBVS, PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATIS,

*Dum*

*Per Excellentiss. & Admodum Reuerendum Dominum*

M. IOANNEM MICHALSKI,

COLLEGAM MINOREM,

*Primâ in Artibus, & Philosophiâ laureâ, in nobilissima hospitum Corona, ritu solenni*

*INSIGNIRENTVR,*

In vim fraternæ obseruantiæ, & gratulationis,

PANEGYRIS DECANTATA,

*Per*

LVDOVICVM NICOLAVM TAINER, eiusdem Laureæ Candidatum.

*Anno Domino M. DC. LX. V. Die*

CRACOVIÆ

In Officina Typographica BALTHASARI SMIESZKOWICZ, Typographi.

# IN STEMMA ILLVSTRISSIMÆ ZEBRZIDOVIORVM FAMILIÆ,



Iam modò nil rabies Suetici tentare Leonis,
In Lechici poterit Regia tecta Soli.
Certa manet Patriæ Ciues Victoria: præsunt
Dum Zebrzydowii, Martia signa Craco.

JLLVSTRISSIMO, ET MAGNIFICO
DOMINO,

# D. MICHAELI
# A ZEBRZYDOWICE ZEBRZYDOWSKI,

SVPREMO REGNI ENSIFERO,
CRACOVIENSI, LANCKORONENSI, SNIATINENSI, &c.

## CAPITANEO,

Domino, ac Mæcenati suo amplissimo.

N*Vsquàm armata Pallas iucundiùs, quàm in sinu Heroum quiescit,* Jllustrissime Domine, Domine ac Mæcenas amplissime; *vbi tam à Zoilorum mordaci importunitate, quàm à furore Mauortio, tranquillum semper, possit capere perfugium. Quid enim inter dubiam bellorum aleam commodius cuiquam euenire potest, quám sub fortium militare signis; quos vel ipsa (ex voto Senecæ) metuit fortuna? quid fortunatius, quàm sub Cruentæ Bellonæ tempus, Magnatum versari in oculis, gestari in manibus, lateri assidere? Quoniam verò cum Martis furorem præsenti Tempestate in Patriâ nostrâ videmus nos, plurimi experiuntur, iure itaq; Meritissimo hæc laureatorum Decuria, sub gentilitium Tuum,* Jllustrissime Mæcenas *confugit vexillum; Te* DVCE, *& Patrono fortiter, fortunateq;*

*contra quosvis aduersantium insultus decertaturá. Nec immeritò quippe serpit & inter victrices hederæ lauros. Atque utinam illa Græcorum Stoa, tam felicem nacta fuisset Mæcenatem, vt te noster Parnassus* ACADEMICVS, *nunquam profectò seculorum iniquitate æternùm consepulta iacuisset. Nobis verò quid euenire potuit optabilius, quàm illius Herois frui præsidio, quem eximius in D. O. M. cultus, pietas in Diuos, amor in Patriam, orbi vniuerso, tanquam Ideam imitandum Commendat. quid dignius, quám eius gaudere tutela, quàm gentilitius* Jllustrissimæ domûs *fulgor, ad peraugustæ vrbis Cracouiensis euexit Capitolium? quid tutius, quam sub eius militare signis, quem invicta animi fortitudo, totaq; præclare gestorum gloria, ad vsq; sydera extollit? Procul hinc Martiales Romanorum Aquilæ; meliori nos omine Sacrum* ZEBRZYDOWII *subimus vexillum; nusquam dubii victoriæ, victrici semper crucis signo dediti deuotiq;. At verò, quanquam ista deessent, quæ in Te summa esse suspicimus, satis superq; ipse literarum, literatorumq; amor, gloriæ, ac nominis Tibi,* Mæcenas Jllustrissime, *vel apud obliuiosam conciliaret posteritatem. Quid enim tali principe fortunatius reperiri potest? cuius lateri non solùm auitus maiorum Splendor, nec solùm Martialis gloriæ decus; sed & ipsa Pallas, Themisq; assidet; & quasi perenne sibi figit domicilium: quid illo felicius, qui sub eruditi Mæcenatis præsidio, ceu Muro Aheneo, aut septemplici distincto pelle Achyllis Clipeo, securè conquiescit. Itaq; quærant alij Mæcenates, quibus laboris sui vindemias dedicare velint; mihi hunc Parnassum Academicum, nouem Musarum choro insignitum, Tibi* Jllustrissime Mæcenas, *deuouere visum est. Tua enim singularis erga Eruditos viros propensio, omnino á nobis id exigit; vt in remunerationem affectus tanti, tantillum hoc grati animi pensum, Tibi* Illustrissime Domine, *deuoueamus. Ergo prosequere beneuolo, quo soles, Musas nostras complecterèq; animo, & me tibi deuinctissimum clientem. Viuasq; sospes Ecclesiæ ornamento, Patriæ subsidio, Illustrissimæ Familiæ perenni decori: viuas incolumis semper, ac fortunatus.*

Illustriss: & Magnif: D. Vestræ

*Cliens deditissimus.*

LVDOVICVS NICOLAVS TAINER
Primæ Laureæ Cand.

# LITERATORVM SYDERI, JNCLYTÆ VRBIS CRACOVIENSIS, ORBISQ; POLONI PATRONO,

# D. JOANNI CANTIO,

## *VOTIVVM MELOS.*

DIVUS JOANNES CANTIVS:

*Anagramma*

AN NON SIDVS, CVI VIA EST?

PRæses hortorum Dea, quid decorem
lactitas florum? superatur omnis
Dignitas prati, veniente solo
Lumine Phæbi.
Quem precor noctu recreare tempe,
Vel viror campi poterit? Diana, &
Cynthius nobis vbi denegárit
Ferre Nitorem.
Non Tagus puro pretiosus auro
Continet tantum pretii, metallo
Gentium ditans varios Monarchas;
Sydera quantum
Conferunt terræ, Pelagiq; fundo:
Hæc per alternos redeundo motus,
Ordinem nunquam variant, perenni
Lege sacratum.

Hæc

Hæc poli laus est; domui Mineruæ
Sit Iagellonum similis necesse:
SIDVS AN NON EST, VIA CVI IOANNES
CANTIVS ille?
Sanctitas cuius micat orbe toto,
Et fugat noxæ tenebras opacas,
Verior Phæbus, Pater eruditæ
Lucis, & auctor.
Hîc togatorum nitido labores
Ore collustrat; fouet & vetusto
Palladem Craci venerandus æuo
Luce corusca.
Mentium fulgor, niueusq; docti
Candor assurgit populi, per illum
Syderi nostro iubar omne præses
Debet Apollo.
Ergò cælesti radians nitore
Sydus, ad laurus via sis togatas;
Tu facem nobis, & amica cæli
Lumina præfer.

CLARISSIMIS, ET EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,
EXAMINATORIBVS

*Clarissimo & Excellentissimo Domino,*
M. FRANCISCO PRZEWOSKI, Collegæ Majori, Artisticæ Facultatis DECANO, Cursus Vladislauiani Prof.

*Clarissimo, & Admodum Reuerendo Domino,*
M. CHRISTOPHORO STELLANOWICZ, Collegæ Majori, Canonico ad S. Annam.

*Clarissimo, & Doctissimo Domino,*
M. SAMVELI KOWALEWSKI, Collegæ Min.

*Grati animi pensum Author deuouet.*

DEscendat alto vertice biiugi
Regina Pindi, tangere barbiton,
Nec voce suaui temperatum
Ferre melos, meritis recuset.
Frustra viator membra laboribus
Fatigat, apto quando caret duce;
Frustra profundum tentat expers
Nauita, miles & arma sumit.
Huc vsq; nostras Cymmerium chaos
Mentes teneret, Mater & inclyta
Laurum virentem denegaret
Frontibus ingenuis: paternam
Ni tu PRZEWOSKI porrigeres manum,
Et cara magnæ pignora Palladis,
Post tot labores reddidisses
Nestoreo celebrandus ore.
Te purpurato præside, muneri
Compar gerendo STELlanowic probat
Nos, & recommendat parenti
Vir genio, & pietate clarus.
Nec te recondet fama silentio,
O Kowalewski quem Sophiæ decus,
Et Stagyreos per labores
Ductus honor, meritis coronat.
Præclara vestræ lumina gloriæ,
Altumq; nomen, totq; laboribus
Honor coronatus, decoris
Passibus ad cathedras Sophorum,
Laurumq; duxit Palladiæ nouam
Stirpem iuuentæ. mille igitur ferat
Laudesq; vobis, gratiasq;
Perpetuo mea Musa censu.

CLIO

# C L I O.

*Generoso, & Venerabili Domino*

I. PETRO JOANNI PROMNICKI
PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATO,

*Nobilitas hominis, est genorosus animus.* Senec.

PRomniciorum ſanguinis indoles,
Et Clare, magno nominis omine
Aſſurge; faſces nam priores
Dat tibi nobilitas perampla.
Te jure certo Pallas amabilis
Serto coronat; Suada cui fluit
Ex ore dulcis, comitaſque
Lumine ſplendidior niteſcit.
Te magna virtus, te pietas quoque
Sublimè curſu ducet in ardua
Recto, laboreſque eruditi
Perpetuo tibi erunt honore.
Mens illa conſtans pectoris inclyti,
Feruor ſciendi conciliat tibi
Nomen decorum, candidique
Vis animi ,generiſque ſplendor.
Iam laureatum tollito verticem,
Corona dum te Palladis inclytæ
Ambit, domeſticiſque viue
Laudibus, ingenioque clarus.

# MELPOMENE

II. V. D. JOANNI FURMANKOWICZ,
Non eſt ſapientiâ poſſeſſio pretioſior. *Menander.*

*Palladis*

*Palladis cultor, columenq́ Craci;*
*Dulce cûi docto fluit ore nectar,*
*Te nequit plectro celebrare dignè,*
*Augur Apollo.*
*Tune sis Musis, Charitesne cordi*
*Sint tibi? certè dubitare cogor;*
*Ipsa te vultûs species modesti*
*Laudibus ornat.*
*Semper in Furmancouijs relucet*
*Palladis feruor, studiumq́ Suadæ;*
*Fronde Phæbeâ meritus virentem*
*Cingere frontem.*
*Pergito felix voueo! procella*
*Nulla te sortis quatiat: perennem*
*Occupes famam, celeriq́ cursu*
*Carpito fasces.*
*I precor, quò te tua ducit ætas,*
*Candor, & virtus pietatis altrix;*
*Præq́ conceptum retineto semper*
*Nomen, & omen.*

# EVTERPE.

## III. V.D. DOMINICO ZICHLINI,

Generosos animos labor nutrit. *Seneca.*

SVnt, quos exagitat cura peculii,
Argentique fames enecat in dies;
Vt vel gemmifero non valeat Tago,
Detestanda sitis, Gangeque diuite
Extingui penitus, quin magis ardeat.
Salsum non pauidus nauta secat mare,

Non horrens tumidis fluctibus opprimi;
Tantùm nauigium mercibus impleat.
Permultos recreant Martia classica,
Multos bella juuant, & sonîtus tubæ
Cordi: Cecropides sed tibi Zichlini
Sunt; quarumq; comes præcipuus manes.
Par in te renitet cura laboribus,
Quos suada celebri, nuper in inclyto
Ludo protuleras. Palladis intime
Ergò perge, precor, tramite ad ardua
Fausto; tum meritas percipe laureas.

# THERPSICHORE.

## IV. V.D. JOANNI SKWIERCZYNSKI,

Eruditionem in prosperis ornamentum, refugium in aduersis.
dicebat Aristoteles.

*Emergat alto gurgite Phosphorus,*
*Illustret orbis climata Cynthius,*
*Vultuq; splendenti per vrbis*
*Sarmaticæ radiet Penates.*
*Fæcunda palmæ secula quis neget?*
*Aduersa musas non minuit dies:*
*Contemnit aularum fauores,*
*Cûi sapientia fixa cordi.*
*Perquam secundis vsq; laboribus*
*Romana pubes creuit, & impio*
*Vastata Pœnorum tumultu,*
*Fana Deos habuêre rectos.*
*Doctrina nam vim promouet insitam,*
*Rectiq; cultus pectora roborat:*

*Sectaris*

*Sectaris illam* Skwirczini, *cui*
*Pallas inest animo sagaci.*
*Dulci loquendi nectare præditus,*
*Metroq; cultor semper amabilis*
*Phœbi sororum: laureatum*
*Fronde caput meritus referto.*

V. V.D. LVDOVICVS NICOLAVS TAINER, Apollinis nomine à Concandidato suo insignitur.

# CALLIOPE.

VI. V.D. SIMONI STASZEWSKI,

Virtutis alimencum honos. *Cicero.*

NAuita cunctatur puppim committere salso,
Et metuit ventos cum Palinurus abest.
Arma, Viriq; silent, bellum tardatur in hostem,
Ni præsens aciem, dux regat ipse suam.
Sic mihi vena grauis, sine te dux noster Apollo;
Cumq; faues calamo, carmina dulce fluunt.
Iam venit illa dies, quâ visus dignus honore,
Staszewski, & cinctũ fronde tenêre caput.
Pallas enim Craciæ meritos dignatur honore,
Promouet ad fasces, tollit ad vsque polum.
O Te felicem! cuius dignata perenni
Alma caput lauro, mater Academia.
Hoc tua mens meruit mansuetæ pacis amica
Inter Phæbeos, Palladiosque Viros.

# VRANIA.

VII. V.D. ALBERTO CASIMIRO STASZEWSKI,

 Cuius-

Cuiusdam Austriæ ducis Corona aurea, in qua decussatim pinguntur rami palmæ.

Lemma

LEGITIME CERTANTIBVS.

*CVltor Palladis intime,*
Staszewskiq; *nouem Pieridum decus,*
*Tu suadæ benè conscius,*
*Et rerum dubiis tuq; negotiis*
*Soluendo facilis; metro*
*Tu multum celebris; magna scientiæ*
*Spes, te certus honos manet.*
*Æuum Nestorei grandeq; sæculi,*
*Doctos assiduis modo*
*Nunc æquare viros, perge laboribus;*
*Et Sertum sapientiæ*
*Sumas interea, quod tibi candidâ*
*Offert Alma Parens manu;*
*Largiturq; tuæ pignora gratiæ.*

# POLYHYMNIA

## VIII. V.D. MATTHÆO FRANCISCO PIĄTKOWSKI,

Nil sine magno
Vita labore, mortalibus dedit. *Hor.*

TE quis esse neget laboriosum,
Atq; sagacem
Cultorem sapientiæ; nites qui
Palladis inter
Deuotos studio, graues resoluens
Arte secundâ

Nodos

Nodos multoties scholæ sophorum.
Pergito felix,
Piątkowski, Celebris nouem sororum
Spesque, decusque.
Et quâ nostra Parens tibi coronat
Tempora lauro;
Jllam tu facias virere semper
Laude togatâ.
Quod si præstiteris, manent honores
Mox tua facta.

# ERATHO.

## IX. V.D. STANISLAO NIEWIESKI,

Pacis est comes, atque socia, Eloquentia. *Cic.*

Docte Niewieski, *tibi iã canendum,*
*O modestarum Charitum sodalis,*
*Quo magis nemo genitus videtur*
*Blandior alter.*

*Tullij cultor celebris, perenni*
*Laude condignus; tibi dat coronam*
*Alma iam mater, viridiq; lauro*
*Tempora cingit.*

*Pulchra te regum, celebrisq; sedes*
*Indolis magnæ genuit, sacrisq;*
*Eruditorum placuisse fecit*
*Posse cathedris.*

*Phæbus hic in te sua dona passim*
*Fudit, & nectar dedit eloquentis*
*Suada sermonis, Sophiaeq; limen*
*Stoa reclusit*

Perge

*Perge iam felix celebrare Musas:*
*Pallas ad summos tibi mox honores*
*En viam sternet facilem, perenni*
*Laude nitentem.*

# THALIA

## X. VD. LVCÆ FOGLINSKI

Sæpè summa ingenia, in occulto latent. Plautus.

ASsurgat omnis lætitiæ vigor,
Tristiq; sensus negligat otio
Vacare; sed tangat canora
Cum citaris, lituisque plectra.
Tymbræus augur, Castalidũ decus,
Et non recondat fama silentio,
Musis amicos tot labores
Foglinii, studiumq; metri.
Medulla Tulli carpis amabiles
Flores Lycæi, sedulus Attica
Vt ales, in pratis Hymetti
Mella fauis operosa texit.
Pallas coronat, iam tua tempora
Lauro virenti, cûi Charites genas,
Et labra pridem iam rigârunt
Castalidum riguo liquore.
Te literatum iam sequitur decus,
O Roxolani flos, & honos soli:
Te carmen, & suadæ venustas,
Jngenij decoratque acumen.

PAR-

PARNASSI ACADEMICI APOLLINI,
V. D. LVDOVICO NICOLAO TAINER,
LVCAS FOGLINSKI, ejuſdem Laureæ Candidatus,
*Votiuo affectu applaudit.*

*Ouid.* Carmina quam tribuunt, fama perennis erit.

NVm me de medio Pieridum ſinam
Torpere? [illegible] exiguis hunc quoque verſibus
Nollem ferre decorum;
Qui nos prætulit omnibus?
Dignus per tuâ laudis adoreà;
Dignus melli-flui carminis alite;
Et dicatur Apollo,
Muſis qui præeat nouem.
Splendores vbi ſol explicat aureos,
Fert colles, hominum fama, Heliconios,
Hinc torrens Aganippe
Perfundit Charitum domos:
Parnaſſum ſimilem, Memnonio vides,
Sub mundi gelido cardine conditum,
Hîc flores, & odores:
Et nectar fluit Atticum.
Autor quis ſapiens tanti operis precor?
Aſcræi poſuit quis iuga verticis?
Promptus carmine Tainer,
Et ſermonis acumine.
O ipſum ſuperas ingenio Iouem!
Vnam qui potuit gignere Palladem;
Tu dextro omine Muſas,
Fudiſti cerebro nouem.
Jam nunc Roxoliæ dulce decus, Tuæ
Creſces & Patriæ; pulchra pharos cui

Luceſces

Lucesces, vt olympo
Titan, perpetuo gyrans.
Sed non sarmatico laus tua sub polo
Hærebit; niueam iam uocat indolem
Gens præclara vetustæ
Stirpis, quâ generis decus
Traxisti, Ausonio stemmate nobilis,
Extendens seriem sanguinis inclyti
Maiorum, atq; paternæ
Ceras adnumerans domûs.
J iam, nec, liquidum fama per æthera
Tranans, Hesperijs serpat inalpibus:
Percurat Gerionis
Excelsas leuis Insulas.
Phæbum te Cytharæ dulce melos tuæ,
Et fons eloquij nectareus probat,
Et Parnasia rupes;
Quam tu carmine nobili
Et cum Thespiacis numinibus, sacro
Succreuisse facis culmine Palladis;
Claro nomine magni, &
Lauru dignus Apollinis.

Sub felicibus auspiciis,
*Magnifici, Perillustris, & Admodum Reuerendi Domini*,
M. STANISLAI JVRKOWSKI, S. Th:
Doctoris & Profess: Prothonotarij Apostolici, Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani Præpositi, S. Georgij in Arce Crac: & OpatouiensisCustodis, Almæ Vniuersitatis Cracouiẽ: Procancellarij, & Generalis RECTORIS
Vigilantissimi.